114

# Ordinibus Terrarum Prussiae

Contributiones confestim exigi, et sibi transmitti, ad numeranda militibus, stipendia jubet.

Reverende in Christo Pater, sincere nobis dilecte. Dies inferendae in aerarium nostrum ejus contributionis, quae proxime in Conventu Marieburgensi a Sinceritate Tua, et omnibus Terrarum Prussiae Ordinibus decreta fuit, jam praeterit. Expositum vero est nobis, ipsam adhuc in aerarium nostrum illatam plane non esse, ex eo quod sint plerique omnes, qui eam non ad thesaurum nostrum Prussiae, sed ad nos ipsos profiteantur se esse allaturos. Quod quidem etsi aliqqui nobis non displiceret, tamen cum hoc tempore pecunia ad persolvenda militum nostrorum Livonicorum stipendia magnopere egeamus, quos sane milites spe maxime ejus contributionis ad stipendia nostra evocaveramus, nec fieri posse videamus, ut fremitum militis flagitantis emerita stipendia diutius sine praesenti pecunia cohibere valeamus, Sinceritatem Tuam hortamur, ut contributionem ipsam plene de suis suorumque subditorum possessionibus secundum rationem universalium nostrarum litterarum exactam, accisa etiam inclusa, Marieburgum sicuti fieri ab aliis coeptum esse dicitur, deferri jubeat, ut inde in Lithvaniam quam primum ad persolvenda stipendia Livonici militis perferatur. Nobis autem ea res aeque gra-

ta

ta factura est, ac si nobis ipsis proprie contributio ipsa redderetur. Factura Sinceritas Tua pro officio suo et gratia nostra. Datum Varsaviae Decima tertia Novembris.